

476.113

CONSILIVM
GREGORIO XV.
PONTIFICI
MAXIMO

Exhibitum,

PER

MICHAELEM
LONIGVM

SACRO VATICANI PALATIO, ET SCRIPTURARUM monumentis digerendis, tam in Archiuo ipsius Vaticanani, quam in Castro Sancti Angeli existentibus olim praefectum.

De adhortando Serenissimum

MAXIMILIANVM *Bauaria Ducem ad petendam dignitatem Electoralis nuper obtenta confirmationem à Sede Apostolica.*



AD EXEMPLAR ARCENNENSE.

ANNO

M. DC. XXIII,

Handwritten initials or signatures, possibly including 'E. G.' and other marks.

Ill. diss. A
3, 28

Handwritten note: Ill. A. 193 (28)

7

MILLIUM
GRIFFORIO
IUSTITIA
MEXAM

ALICIA

ROSA



...

...



BEATISSIME PATER,



Maximum ad Romanam Ecclesiam emolumentum accederet, & ingenti gloriae decore Sanctitas Vestra felicissimum Pontificatum sibi à Deo creditum cumulari, si Boiorum Dux nuper ad Electoratus Imperialis dignitatem euectus in illam sententiam pelliceretur, ut ab Sedis Apostolicae auctoritate hunc sibi titulum confirmari exoptularet. Hoc enim vno

obtento tantum in praesentia Beatitudo Vestra lucrifaceret, quantum ne ducentorum quidem annorum curriculo ab superioribus Pontificibus acquisitum fuit; aut potius, ut verius loquar, rursus illud vendicaret, atque redimeret, quod à Gregorii XI. temporibus ad hanc usque nostra de iuribus, quae in constituendis rebus, & ordinibus Imperii ad Ecclesiam attinebant, caeteri amiserunt. Tanti transactio negotii est admodum cum honestate coniuncta, ad quam obtrudendam Ducis animo ita rationes suppetunt efficaces, ut minimè dubium sit, quin, si per hominem idoneum, & huiusmodi consiliorum haud imperitum ob oculos ei subiiciantur, optimum sortiantur effectum; praecipue agenti cum Principe de Fide optime, & de pietate sentiente, qui summis Pontificibus, & Apostolicae Sedi se pluribus de causis maximè deuinctum profitetur.

Est igitur primo eius Celsitudini appositè innuendum, quod summorum Pontificum ius, & auctoritas in decernendo de statu, & ordine Romani Imperii, quod Ecclesiae proprius est partus, & ab Ecclesia ut filius à matre promanauit, ita bonis omnibus liquet & fundamentis usque adeo firmis suffulta consistunt, ut in controuersiam vocare, aut illis vel minimum dubitationis offundere, homini re vera Christiano religio, & nephas sit.

Quod postquam Imperium in Orientem transportauit Constantinus, modo duo Imperatores, cum bipartitum illud foret in Eoum, & Occiduum, modo vnicus tantum, cum sub vnus ditione collectum esset, ad illius gubernacula sedit; & id per plures annos euenit: donec vnico existente domino, cum Imperatores haereseos crimine insimulati,

lati, & Ecclesiæ Romanæ hostes pronunciati paruum de rebus Italiæ curam adhiberent, Exarchis administratione commissa, quorum culpam in Longobardorum manus vndequaue deciderat, Leo Tertius, vt vnâ Sedis Apostolicæ calamitatibus, & afflictæ prouinciæ consulere, anno post Iesu Christi natalem diem octingentesimo, Imperii fasces solemniter Carolo Galliarum Regi est impetitus; & hac noua dignitatis delatione Imperium Occidentis, quale & ante fuerat, ab Orientis Imperio abscidit, & diuulsit, illudque (tanta Pontifici inest auctoritas) è Græcorum manibus ademptum Gallis transmisit, eidemque Carolo elargitus est, vt optimè de Sede Apostolica merito gratiam referret.

Quod huic sectioni, & diuulsioni Dignitatis, & rerum Imperialium per Leonem factæ nec constantia, nec firmitas defluit: namque Occidentis Imperium nunquam rursus Orientis fuit annexum, licet possessore sæpius postmodum vacauerit; nec vnus leges in alterius Prouinciis vigere, neque ex eo, nisi diuersis penitus constitutionibus, & moribus, in vtriusq; regionibus homines vitam traduxere.

Quod illa Imperii translatio à Græcis ad Gallos tam libero brachio, & vsque adeo viuida potestate per Leonem facta fuit, vt iidem ipsi Græci Imperatores, quamquam potentissimi, nunquam tamen sibi audendum existimarunt illam impugnare; imò sæpius expressè probarunt, & ratam habuerunt. Nam Michael primus ad Imperium assumptus anno duodecimo post dictam translationem, cum ad Carolum pacis impetrandæ, & fœderis sancienti ergo legatos misisset, ipsis præcepit, vt eum & nominarent, & saluarent Imperatorem; & voluit pariter, vt fœderis conuentiones à Pontifice omnino sancirentur; ac si robur nullum eis futurum esset, nisi ab illo conflueret, cuius auctoritate idem Carolus imperabat. Emanuel Comnenus ibidem, cum certior factus esset, Federicum primum Alexandri tertii sententia de Imperio deiectum, Pontifici pecuniam, & milites aduersus Federicum obtulit, & Latinæ Græcam Ecclesiam adiungere, sub vnico Romano Pontifice vtraq; composita; si tantum ille Occidentis Imperium cum Orientis copularet, & Græcis restitueret: Quo indubie confessus est, sectionem, & translationem Pontificiam stabilire, & firmamento redundare, & alterum Imperium alteri vnire, vetitum cuilibet fuisse, præterquam summo Pontifici, qui prius illa interfecerat.

Quod post Leonem alii quoque Pontifices sola Sedis auctoritate sæpe illud idem imperium ab vna ad aliam transtulerunt nationem:

Stephanus

Stephanus quintus præcipuè, Imperatore nuncupato Guidone Duce Spoletano, illud è Gallorum manibus extortum Longobardis transfudit, Ioannes Decimus ab his ereptum, Berengario ad Imperium elato, in Foroiulii Duces contulit: Ioannes duodecimus, Ottone primo hac dignitate insignito, à Foroiuliensibus ad Saxonas, Gregorius quintus tandem ab his ad Germanos vniuersos, cui vni genti facultatem eligendi Imperatoris concessit.

Quod Albertus primus Romanorum Rex, cum ei optimè compertum esset, supremam hanc Auctoritatem vni Ecclesiæ competere, omnibus neruis in illud incubuit, vt Bonifacius Octauus Imperium sibi, & successoribus conferret iure hæreditario: quod Pontifex vsquequaq; abnuuit, & electione non aliter ad tantum munus voluit perueniri.

Quod Alberto vita functo Philippus Fræcorum Rex, suorum consilio impulsus, Legatos Auenionem ad Clementem quintum destinavit, quo supplices ab ipso exorarent, vt Imperium Gallorum genti, in qua prius constiterat, restitueret. Quod cum Pontificis aures attigisset, certos ille homines confestim ad Electores misit, per quos eis imperavit, vt ocyus Imperatorem crearent, isque esset Henricus à Luxemburgh: secus si facerent, in discrimine adductum iri, ne Imperium, & ius Electionis ab ipsis ad alios perpetuò deuolueretur. Quare ipsi statim conuentu facto Henricum elegerunt, ex quibus omnibus perspicuum apparet, Gallis certum fuisse, in manu esse Pontificis redintegrare in eorum regno Maiestatem Imperatoriam; Germanis, ab eis Imperium, & ius Electionis auocare.

E re foret etiam afferre, vt autoritas melius hæc innotesceret, quod summorum Pótificum ius in Electionibus Imperatorum semper adeo inualuit, vt nemo vnquam sine ipsorum assensu, aut Sedis Apostolicæ legatorum interuentu ad Imperii culmen ascenderit: Quod grauissimum auctorum fide palam est: Legatos autem Apostolicos huiusmodi solemnitatibus interfuisse constat, præsertim in electione Henrici tertii, Rudolphi Ducis Sueuiæ, Henrici quarti, Lotharii secundi, & eius, qui Lothario successit, Conradi.

Quod Imperii Principes, cum olim in animo eis esset Imperatorem pronunciare Conradinum Ferdinandi secundi Nepotem, metu perculsi à proposito destiterunt, quia Clemens quartus huic aduersaretur sententiæ, & acriter ex aduerso reclamaret.

Quod iidem Electores, cum semper alieni fuissent ab eo eligendo Vincislao, id est efflagitante Carolo quarto eius patre, denuo illum ele-

gerunt Gregorii vndecimi iussu: & iidem cum Vincislaus ob eius inertiam ab Electoribus de Imperii sede deturbatus esset, Robertum Ræni Comitem Palatinum, Bonifacii noni mandato, ad tanti gradus apicem promouerunt.

Quod posteaquam cæteri omnes ab eligendi Imperatoris solemnitate fuerunt amoti, & ipsi etiam Sedis Apostolicæ Legati, fuitque facultas hæc septem tantum Principum numero coarctata, cum antea ex Gregorii quinti concessione cunctis Germaniæ Principibus competeret, cautum fuit ius illud compensandi gratia, quod ante factam exclusionem Ecclesia Romana obtinebat, ne posset Imperator electus se rebus administrandis admiscere, nisi prius à summo Pontifice electioni præstitus esset assensus, & elargita confirmatio: Et hoc illud est, ex quo inferunt Doctores non sufficere Imperatori electionem, sed necessario indigere Pontificis confirmatione. Quo casu non solum electionis forma perpendi solet; verum etiam ipsius electi persona: cum non sit absolum, vt electio legitimè facta appareat; hominem autem electum dotes illæ deficiant, quæ hic requiruntur; ita vt tanto ponderi sit impar. Quod si contingat, in potestate Pontificis est, illum reiicere, & ab illius dignitatis fastigio abdicare.

Quod Carolus Magnus, cum Imperium, & regna inter natos diuisisset, omnino voluit diuisionem hanc à Pontifice Leone tertio firmam reddi: id quod ab ipso tanti ductum fuit, vt Ludouicum filium nunquam nomine Imperatorio appellarit, nisi ex quo diuisiones à se factas Pontifex confirmauit.

Quid in tabulariis, siue Archiuiis Sedis Apostolicæ custodiuntur etiamnum publica documenta Electionem Rudolphi Auspurgensis, Adolphi, Henrici septimi, Caroli quarti, Vincislai, & Roberti, quæ nullam aliunde firmitatem habent, quam ab assensu, & verbo Nicolai tertii, Bonifacii octauis, Clementis Quinti, Clementis sexti, Gregorii vndecimi, & Bonifacii noni, cum iidem hoc ipsum à summis Pontificibus petiissent, neglecta Ludouici quarti constitutione, quæ sanciebat, Licere electo absque Pontificis confirmatione moderamen Imperii exercere.

Quod Albertus eiusdem Rudolphi Auspurgensis filius nunquam eius voti compos euasit, vt Pontifex electionem confirmaret, qua ipse fuerat ad Imperium elatus; quamuis id obnixis precibus, & humillima obsequii exhibitione sæpius exposulasset.

Ad hæc, vt ius magis elucescat, quod Pontifex, & Ecclesia certum
habet

habet disponendi de Imperio, subiiciendum est, quod Imperator à Pontifice ob illud supremum munus sibi insitum Diademate decoratur: & huius operationis exercitatione in Imperatorio folio confirmetur. Doctores enim omnes in illam eunt sententiam, ei, qui à Pontifice coronatus non sit, Imperatoris, & Augusti nomine gaudere signum in aurea Bulla imprimere, Imperii administratione perfungi, iure interdictum esse.

Quod Imperatoribus moris sit annos Imperii à die susceptæ coronæ enumerare, atque ita palam profiteri, se re vera Imperatores non extitisse, nisi ex quo illos Pontifex diademate præcinxit; & quod ideo Henricus Primus, Conradus Sueuus, Rudolphus, Aldolphus, Albertus, Rubertus, & alii, qui de Pontificis manu non sunt coronam adepti, sibi nunquam in Priuilegiis irrogandis nomen Imperatoris, sed Regis Romanorum tantum vendicauerint.

Quod, quamuis in Caroli Magni stemmate imperium ab ipso vsque ad Ludouicum Secundum iure hæreditatis, & successionis transmissum fuerit, semper tamen Imperatores illi sibi congruum duxerint è Pontificis manu coronam accipere. Lotharius verò primus regnum quidem Italiæ auctoritate propria in filium Ludouicum Secundum contulit; sed cum ad Imperii maiestatem esset euecturus, Romam illum ad Sergium Pontificem iusserit contendere, à quo Diadema, & Imperium obtineret.

Quod Carolus Caluus Francorum Rex, cum inter ipsum, & Ludouicum fratrem ingens super Imperio controuersia agitaretur protinus Romam iter maturarit, & precibus, & muneribus à Pontifice coronam impetrarit: norat enim, quanti id sua intererat, quod ubi est consequutus, illico sublata omni animorum dissensione est à cunctis Imperator acclamatus, illud ei corona Pontificia tribuente, quod fortasse vis, & arma non potuissent.

Quod, cum Federicus Primus per Episcopum Bambergensem petiit coronam Imperii ab Hadriano Quarto, verba inferius appolita fuerint singillatim adhibita; quibus haud obscurè patefit, eum, qui coronam è manu Pontificis non obtinet, re vera non esse Imperatorem: Ergo Reuerende Pastor tu circa eum peragas, & quæ ei desunt de plenitudine Imperialis culminis per tuæ Beatitudinis munificentiam suppleantur: & quod idem Pontifex ab omnibus Imperii Principibus exoratus tandem ipsi coronam concesserit, ex quo colligere est, quantum ex ea ad Imperatores accedat, & quanti meritò eam faciant.

Insiper

Insuper instillandum est, blande tamen, Ducis animo, quod aucto-
ritas statuendi de rebus Imperii Pontifici propria eousque prouehi-
tur, vt ipsa interdum exagitaueit, depresserit, & penitus eliserit Impe-
ratores, & si maximis opibus pollentes, qui sese obuios illi ferre, eam-
que euertere in animum induxerunt: & cunctis in Historicorum li-
bris patet, quod olim gestum fuerit inter Gregorium Septimum, &
Henricum Quartum, inter Alexandrum Tertium, & Federicum Octa-
uum, inter Innocentium Tertium, & Ottonem Quartum, inter Inno-
centium Quartum, & Federicum, inter Ioannem Vigesimalumsecun-
dum, & Ludouicum Quartum, inter Bonifacium Nonum, & Vincis-
laum: non tamen in his ad singulares rerum, & factorum euentus de-
currendum est, ne vulnera refricentur, à quibus est dubitare, ne pro-
posito contrarius emergat effectus.

His omnibus expositis propius ad id, quod modò præcipuus est sco-
pus, accedendo nempe ad agendum de Electoratu, Duci sub aspectu
subiiciendum est, quod facultas hæc Imperatoris eligendi non auro à
Principibus Electoribus fuerit emptæ, non armis comparata, non iure
accepta hæreditario, veluti quid ab ipsis acquisitum, & propriis rebus
aggestum, nec eadem ad ipsos ab Imperatorum manu, sed ab Sedis
Apostolicæ auctoritate defluerit, de qua æquum non sit, cum vti talem
antiquiores agnouerint, & tenuerint, secus in præsentia sentire.

Quod luce meridiana clarius sit penes scriptores, qui res magis ex
veritate, & ex fide literis mandarunt Gregorium Quintum Pontifi-
cem, cum post rotam Caroli Magni defunctam sobolem, Imperium
eò prolapsum esset, vt cuilibet illud armis inuadere liceret, vt reme-
dium tot malis adhiberet, & Imperii maiestatem turbulentis dissidiis
diu conflictatam, & consternatam erigeret, maioribus Germaniæ Præ-
sulibus, & Principibus facultatem Imperatoris eligendi dedisse eam,
vt ne quidem à Pontifice coronam consequi posset, & quem ipsi Impe-
ratorem non pronuntiaissent.

Quod, cum diu viguisset consuetudo eligendi Imperatorem ex
constitutione Gregorii Quinti interuentu Antistitum omnium, &
Principum Germaniæ, & cum postmodum scismata, & turbæ ex mul-
tiplici opinionum discrepantia inter eligendum oriri cœpissent, qui-
bus Imperium magnopere in dies contabescebat, tandem Antistites,
& Principes vnanimis, assentiente Sede Apostolica, in eo conuene-
rint, vt facultas omnis ad se ipsos vniuersos à Gregorio Quinto de-
uoluta ad sex Principes tantum deuolueretur, tres Ecclesiasticos, tres
alterius

alterius rationis, quibus postea septimus additus fuit, & quod solemniter decreuerint ab his tantum, nullo præterea admissio, in posterum Imperatorem esse eligendum eadem cæterum facultate, iure, & auctoritate, quæ prius in vñu fuerant.

Quod ob huiusmodi decretum impertiens auctoritatem septenis tantum eligendi Imperatorem, quod pactum perpetuò conuentum inter vniuersos Germaniæ Præsules, & Principes appellari potest, ne minimum quidem abiit Ecclesia de iure suo: nam præterquam quod, vt dixi, adfuit huic decreto condendo assensus Pontificis, & Vniuersalis Concilii, veluti nonnulli ex opinione asserunt, dicendum est etiam, cum Septemuiro Pontificis assensu ius Imperatoris eligendi ab illis acceperint, apud quos illud Summi Pontifices collocauerant quod Septemuiro quoque facultatem illam, si non proximè, saltem traditam per alienam manum, Pontificibus acceptam referre teneantur: cum dictum veritati sit consentaneum, qui per alium facit; & illud omnia nostra facimus. Ideo, quod veluti superioribus temporibus electio ex facultate per Gregorium Quintum concessa procedebat, ita recentioribus eadem facultate procedat in Septemuiros Pontificis assensu translata: & sicut antiquitus Summi Pontifices vniuersis illis Præsulibus, & Principibus Germaniæ imperabant, vt Imperatorem eligerent, ita in præsentia, cum opus sit, Pontifici liceat Septemuiris imperare, quippe qui referunt omnino illorum vniuersorum conuentum: Et veluti quondam vniuersis inhibuitur fuit, ne Corradinum eligerent, ita imperatum Septemuiris, vt eligerent Vincislaum, eoque deposito, Rubertum, quorum vtrumque mandatorum ad vnguem peractum fuit. Quoniam vt Septemuiro eiusdem facultatis, & iuris potiuntur, quorum olim vniuersus Germaniæ conuentus, ita modo Pontifices eam penitus retinent auctoritatem, quam conuentus illius vniuersalis tempestate obtinebant: longo enim annorum curriculo, aut temporum diuturnitate Ecclesiæ vigor non remittitur, neque Sedis Apostolicæ iura inueterascunt.

Quod autem à vero non sit alienum, Electores æquè recentiores, ac veteres facultatem Imperatoris eligendi non aliunde hausisse, quàm à supremo Sedis Apostolicæ fonte, confirmari potest grauissimorum auctorum fide Iacobi V Vimpfelingi, Krantii, Naucleri, Carionis, Auentini, Cuspidiani, & aliorum Transalpinorum, vt Italos omittam, qui super hac controuersia ob corruptelæ suspicionem forsitan reiici possent. Afferri quoque in medium decet corroborari hoc

ri hoc

ri hoc ipsum Sanctissimorum, & Doctissimorum hominum attestati-
one, veluti Diui Thomæ, qui procul omni dubitatione enunciat,
quod per Pontificem stat rationem Imperatoris eligendi permutare,
& hoc his verbis Tantum durabit (loquitur de ipsa electione) quan-
tum Romana Ecclesia, quæ supremum gradum in Principatu tenet,
Christi fidelibus expediens iudicauerit, præterea Augustini Tryum-
phi, Innocentii Quarti Pontificis, Cardinalium Hostiensis, & Zaba-
rellæ, & aliorum recentiorum, quos, ne longior sim, missos facio.
Quinetiam iidem ipsi Septemviri publicis scripturarum argumentis
eorum manu, & signo firmatarum inficias non eunt, facultatem hanc
Imperatori eligendi ad ipsos ab Sede Apostolica profectam esse, cui
rei si fidem derogaret, exhibendum ei exemplum foret scripturam
anno 1279. Pontifice Nicolao Tertio, Rege Romanorum Rudolpho
Auspurgensi exaratarum, quæ integræ, & solidæ folio Pergameno in
Archiuio Castri Sancti Angeli adseruantur: vbi ego eas olim Pauli
Quinti iussu vnà cum aliis pulcherrimis priuilegiis tum Episcopo
Bambergensi ostendi, cum Romam Matthiæ Regis Romanorum
Legatus eius nomine obsequium Apostolicæ Sedi præstiturus adue-
nit: hic enim Septemviri his verbis præcipuè vtuntur. Complectens
ab olim sibi Romana mater Ecclesia, quali quadam germana charita-
te Germaniam, illam eo terrenæ dignitatis munere decorauit, quod
est super omne nomen temporaliter tantum Præsidentis super terram,
postulans in ea Principes tanquam arbores præcellentes, & rigans il-
los gratia singulari, illud eis dedit incrementum mundanæ potentia,
vt ipsius Ecclesiæ auctoritate suffulti, veluti germen electum per ipso-
rum electionem illum, qui fræna Romani tenet Imperii germinarent.

His peractis exponendum est, quod cum Septemviri facultatem
hanc à Sede Apostolica agnoscant, vt superius firmatum est, illa eo-
rum nemini potest adimi absque eiusdem Apostolicæ Sedis auctori-
tate, & assensu: Quod si ea cuiquam facto adimitur, expoliatus ille,
non legitimè priuatus est censendus; & dignitas sic vni erepta, & in
alium absque Pontificis assensu, & auctoritate collata, cum erepta, &
collata sit ab eo qui iure prohibetur, nullius est roboris: Quare si cui-
piam hoc modo concedetur, nec illam iure tenebit, nec, cum iusto ca-
reat titulo, temporis excussu præscribit.

Demum illi fides est facienda, nihil hic aliud Sanctitati Vestræ esse
propositum, quam apud illius Celsitudinem illud collocare, quod
prorsus ad ipsius vtilitatem, & ornamentum pertinet, atque illi viam
indicare

indicare se se ipsum à curis, & molestiis perpetuò eximendi, & Electo-
 ralem dignitatem Bauaricæ domui æternam inferendi. Rebus enim
 ita se habentibus, vt se nunc habent, si nati, aut hæredes Comitis Pala-
 tini ditionem vnquam, de qua parens est deiectus, recuperarent, &
 Electoratum reponerent, asserentes, se illum Pontificibus, non Impe-
 ratoribus acceptum referre, & ideo absque Sedis Apostolicæ assensu
 sibi non potuisse adimi, huius vnus rationis colore omnia conuelle-
 rent, & prosternerent quæcunque nuper aduersus eorum patrem de-
 creta sunt: & eò Pontificem necessario adigerent, ad quem vnum hu-
 iusmodi controuersia iudicium attinet, vt iurium sedis Apostolicæ
 conseruandorum ergo pronunciaret, deturbationem Palatini de Ele-
 ctoratu, & concessionem eius dignitatis alteri factam, nullius esse pon-
 deris, & filiis denuo facultatem restitueret, quam prius à Summis
 Pontificibus acceperant: cum sit eis adempta, & in alium
 collata absque Apostolicæ Sedis au-
 thoritate,



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Coll. chin H. 193, 28